



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 5. Fertilitas terræ sanctæ à Iosepho descripta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

verbis, & rebus. verbis, cùm Moyſi dice-
rent: *Venimus in terram, ad quam miſiſti*
nos, quæ reuera fluit lacte & melle, ut ex his
fructibus cognoſci poteſt. Ita enim re quoque
ipſa & oculis teſtati ſunt, quanta eſſet bo-
nitatis terræ, quando abſciſſum palmitem,
cum vua ſua, vix duo viri, in veſte appor-
tauerunt. Sed nullo alio difertiùs loco
Scriptura terram ſanctam depingit, quàm
vbi ait: Dominus Deus tuus introducet te
in terram bonam, terram riuorum, & aqua-
rum, & fontium, in cuius campis & montibus
erumpunt fluuiorum abyſſi: terram frumenti,
hordei, ac vinearum: in qua ficus, & mala
granata, & oliueta naſcuntur, terram oleæ &
mellis. Vbi, abſque vlla penuria, comedes pa-
nem tuum, & rerum omnium abundantia
perfrueris: cuius lapides ferrum ſunt, & de
montibus eius aris metalla fodiuntur: ut, cùm
comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domi-
no Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi.

§. V.

Fertilitas terre ſanctæ à Joſepho deſcripta.
Hæc ex oraculis ſacris. Meminerunt &
alij ſcriptores, atq; in primis Joſephus, in
Iudæa natus, & educatus, Iudæus ipſe, &
cum dignitate ac imperio in ea regione
verſa.

versatus, qui sui temporis (fuit autem Christo coæuus) fertilitatem, hunc in modum, describit. *Indæa natura talis est, ut videre liceat campos magnos, & frugum, & fructuum feracissimos: qui collati ad aliam terram, admodum uberes videri possent: Quod si ad Ierichuntinum, vel Hierosolymitanum agrum conferantur, iam non magni pretij videbuntur. Cùm hi tamen agri parui sint, & bona ex parte montani. Sed quantum ad fertilitatem attinet, nullis alijs secundi. De agri verò Ierichuntini ubertate, hæc alio loco tradit: Optimos habet Paradisos; palmarumq; irriguarum genera tam sapore, quam nominibus varia: quarum pinguisima, calcibus presse, plurimum mellis emittunt, non multò deterius alio melle. Quanquam & mellis atrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium: itemq; cyprum, & myrobalanum gignit. Ergo qui diuinum esse illum tractum dixerit, nequaquam errauerit. Quippe ibi & larga, & optima generantur, que sunt carissima. Sed nec in alijs ei fructibus aliqua facile, toto orbe, regio certauerit: adeò multiplicatnm, quod satum est, reddit.*

Ioseph.
lib. 5. An-
tiquit.

Idem l. 9.
de bell.
Iud.

SS(O)SS

Ff 2

§. VI.